

Ill/me ac R/me Domine

Post multos labores totis viginti annis in deturbandis ab Ordine nostro proprietatis monstris exantlatos et sollicitudines innumeras in extruendo a fundamentis Monasterio nostro, ac seminario pro totius 5ordinis nostri studiosis aedificando toleratas, sperabam quod Summus Pontifex laboribus ac sollicitudinibus illis benediceret, disciplinamque regularem multo sudore antiquo rigori restitutam laudaret, approbaret ac confirmaret; sed cum in eo se difficilem praebeat, volens constitutiones reformationes nostrae sibi repraesentari, incipio 10 animum despondere, attento quod tam antiquae quam recentes Ordinis nostri constitutiones, ex quibus conflata est nostra reformatio, magno volumine contineantur, ac propterea vix sperandum sit sacram regularium congregationem inter tot negotia, quibus premitur, illas constitutiones revolvere et examinare, nisi post multos 15 menses, ne dicam annos, posse.

Accedit quod ea semper fuerit laudabilis et antiqua Pontificum Romanorum consuetudo, ut quotiescunque de edendis et confirmandis Ordinis nostri constitutionibus quaestio fuit, semper illud negotium ecclesiasticis personis nostratibus commiserit examinandum ac 20 auctoritate apostolica confirmandum, in casu quo sacris canonibus non repugnarent. Imo vero cum in Hispania fuerunt Ordinis nostri monasteria in congregationem redacta, ac eorundem constitutiones examinatae, totum examinis et confirmationis negotium fuit Apostolico Commissario concreditum. Ego eandem sperabam gratiam, et etiam nunc 25 adhuc spero, dummodo Ill/ma Dominatio vestra dignetur rem urgere, et eam Sanctissimo nostro manifeste exponere. Nihil novi postulo, sed peto duntaxat veterem disciplinam Monasterio nostro restitutam apostolica auctoritate approbari et confirmari, aditumque ad nos omnibus Ordinis nostri professoribus, petita venia licet non obtenta, 30 patere, quotiescunque se nobis adungere volent, et vitam reformationi nostrae conformem in nostro Monasterio vel in suis ducere.

/ Neminem ad reformationem illam volumus astringere, sed tantum omnibus liberum fieri auctoritate apostolica ejusdem reformationis amplexum cupimus. Ut hoc impetrare cum confirmatione ejusdem reformationis possimus, ad Ill/mam et R/mam D.V. recurrimus. Illa potest
5 miserum religiosorum ab instituti sui ratione deflectentium statum perpendere, ac crudele nimis bellum, quod a falsis fratribus imminet iis qui inter exleges regulariter vitam instituere volunt. Illa potest commiseratione erga nos mota periculosum illud bellum a nobis avertere, impetrando a Sanctissimo Commissarios nostrates qui reformationem
10 nostram examinent et confirment: quod alias nunquam fuit Ordini Praemonstratensi denegatum.

Si autem sua S/tas hoc praestare iterum recuset, articulosque reformationis Romae examinari velit, transmittito illos praemissis nonnullis ad majorem reformationis nostrae notitiam requisitis, meque
15 totum ad longe lateque diffusi zeli vestri pedes prosterno, obnixè rogans ut ad expetitae confirmationis beneficium impetrandum se instanter impendere non gravetur. Rogabit pluribus lator praesentium e Monasterio nostro ad procuratorias Ordinis nostri in Romana curia obeundas a R/mo Generali nostro assumptus, quem Ill/mae ac R/mae D.
20 V. commendatum esse magnopere cupio.

Ut autem intelligatur reformatio Monasteriorum S/tae Mariae Majoris Mussipontanae, Justimonti et Salinvallis, Ordinis Praemonstratensis
notandum est p^o, quod Ordo Praemonstratensis à S/to Norberto institutum anno 1120 habet regulam et constitutiones,
25 secundum quas vitam regularem instituere dignetur.

Deinde quod regula sub quâ militat ille ordo, est regula D. Augustini. / 3^o, Quod constitutiones distinguunt Ordinem Praemonstratensem a caeteris Ordinibus. Cum enim regula D. Augustini sit triginta ~~met~~ amplius ordinibus communis, mirum non est si regulae illi,
30 qua ab illis triginta nos distinguimur, additae sint constitutiones quibus ordo noster ab illis distinctus esse dignoscatur.

4^o Constitutiones Ordinis nostri fuisse olim austeriores quam nunc

/ austeritatesque illas partim dispensatione, partim consuetudine fuisse relaxatas.

5° Ordinem illum cum abstinencia perpetua et jejuniis ab Exaltatione S/tae Crucis usque ad Pascha fuisse institutum, et 400 pene annis in ea obligatione vixisse; post 400 autem annos ab institutione ejusdem Ordinis elapsos, cum pauci in ea austeritate vitam ducere dignoscerentur, Summus Pontifex a Praelato praedicti Ordinis ea de re monitus et rogatus ut de illa dispensaret, quandoquidem impossibile videbatur tantum Ordinis corpus ad illam abstinenciam cum jejuniis memorato revocare, petitioni annuens dispensavit, donec ad pristinam illam austeritatem reduci possent, ut patet ex Bulla initio Institutorum nostrorum recentiorum posita.

Unde cum Monasteria praefata S/tae Mariae Majoris Mussipontanae, Justimontis, et Salinvallis ad illam austeritatem et caeteras cum quibus ordo est institutus, reducta sint, et in illis austeritatibus cupiant perseverare, rogant obnixè, ut sancta sedes dignetur hoc reformationis institutum, quo sese institutori suo et patribus suis primariis conformare studuerunt, sua auctoritate stabilire, et omnibus qui volent illud amplecti permittere ut in praedictis nostris Monasteriis vel in suis reformationem illam amplectantur.

6° Notandum est quod Summus Pontifex reformationem illam sua auctoritate stabiliens, nihil novi confirmabit, sed antiquum duntaxat Ordinis Praemonstratensis institutum, a plurimorum Pontificum diplomatibus confirmatum praefatis Monasteriis restituet.

25 Ut autem Summus Pontifex possit clarius videre in quo haec reformatio consistit, articulos quibus tota nostra reformatio nititur, praesentium bajulus praesentabit et exponet.

Et ut quilibet reformationis illius professor ad illos articulos sese astrictum intelligat, pridie professionis suae illis subscribit et in instrumento sive actu professionis obedientiam secundum regulam D. Augustini et illos articulos promittit, renuntiatque, medio juramento, omnibus, circa illos articulos, dispensationibus, nisi a

/ sancta sede obtineantur.

Atque illa est reformationis nostrae summa, quam cuperemus a sancta sede sic confirmari, ut licitum sit omnibus illam amplecti in praefatis Monasteriis nostris vel in suis; nobis autem illam in illa
 5 Monasteria introducere, quorum Abbates gratam habuerint, et religiosos Ordinis nostri vel alterius transeuntes ad nos, petita venia et non obtenta, non obstantibus quibuscunque in contrarium impetratis, admittere. / Approbavit quidem reformationem illam nostram sua S/tas, dum separationem mensae conventualis in gratiam reformationis il-
 10 lius in Monasteriis nostris S/tae Mariae Majoris Mussipontanae et Justimontis stabilivit, nec prius separationem illam desinere voluit, quam reformatio illa desiisset. Imo vero reformatione illa desinente, voluit separationis illius mensae gratiam desinere, nec ullam amplius vim habere. Approbavit inquam modo illo reformationem nostram
 15 sua S/tas, sed nondum nobis satisfactum est: ad maiorem enim firmitatem et robur expressam reformationis bullam requirimus.

Approbavit etiam R/mus Generalis noster, prout ex instrumento publico quod transmittito Ill/mae et R/ma D.V. satis intelliget, sed neque id sufficit, quandoquidem Capitulum generale est supra Genera-
 20 lem, et potest quae Generalis confirmavit, infirmare.

Haec pluribus exponet praesentium lator, vehemensque desiderium nostrum circa reformationis nostrae confirmationem aperiet, rogabitque, quanta poterit animi demissione et instantia, ut Ill/ma et R/ma Dominatio V. coeptis nostris favere et nos a falsis fratribus, qui
 25 ejusdem reformationis nostrae ruinam sibi in proximo generali Capitulo Ordinis nostri pollicentur, opprimi non patiatur.

Datae Mussiponti in Monasterio nostro S/tae Mariae Majoris die
 4 Septemb. anni 1616.

Arch. Vatic. Mss. Gesuit.	/	Ill/mae ac R/mae Dominationis Vestrae
18 fol. 49-50.	/ 30	humillimus et obsequentissimus servus et
Orig.	/ aliene	cliens
f. Servatius de Lairvez abbas S/tae Mariae.		
(adresse):		
Ill/mo ac R/mo D. D. Cardinali Bellarmino. Romae.		
(manu Bell.): Cum Ill/mo et R/mo D/no Cardinali Verello.		